



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatvs De Execvtoribvs Vltimarvm Volvntatum duorum  
celeberrimorum iurisconsultorum**

**Canis, Johannes Jacobus**

**Constantia, 1593**

**VD16 ZV 2896**

De legitimis executoribus, &c. Tit. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63406](#)

JOAN. OLDENDOR. TRACT.

ganter admonuit Dn. Spiegelius in suo Lexico,  
authoritate Ciceronis offi. lib. 3. & l. diuus. s.  
si quis duobus l. impuberem. s. si testamenta-  
rius ff. ad l. Cornel. defal. adde l. 1. in princ.  
ff. si quis aliq. testamen. prohibue.

### De legitimis executoribus, &c.

58

S U M M A R I U M.

1. Executorum vltimorum voluntatum duo genera.
  2. Executores legiti & publici, recte nominantur.
  3. Voluntates vltimas conseruari, reipublicæ maxime interest.
  4. Voluntatis vltimæ ius liberum, & licitum, non arbitrarium executori.
  5. Episcopus non est immediatus executor in causis pījs, alijs hæredibus vel executoribus a testatore designatis. & super ea re elegans demonstratio-  
num. 6.
  7. Episcopi officium, circa executionis testamenti munus & num. 8. & 9.
  10. Episcopus nō potest accedere ad executionem vltimorum voluntatum, donec unus testamen-  
tariorum executor supereft.
  11. Insinuationis vlus, in executionibus vltimorum voluntatum.
  12. Voluntatum vltimorum privilegium & digni-  
tastaria, vt cuiq; libera sit accusatio, si vident  
quid agi præter testatoris decretum & mentem.

13. Vce

13. Voluntates vltimas conseruari, natura etiam monet.  
 14. Executor s vltimarum voluntatum constituti à iudice ecclesiastico, vel adiuncti, præter testatoris ordinationem, quid qualiterue agere debeant.  
 15. Mandatis iniustis non parendum.

**D**Istinguunt † doctores multas executo-  
 rum species, subtiliter magis, quam  
 cum vtilitate fori. Dicunt enim alios esse legi-  
 timos, alios datiuos. Rursus constituunt diffe-  
 rentiam inter datiuos & testamentarios, ri-  
 xantes de nominibus, & negligentes rem  
 ipsam.

Breuiter, summa executorum vltimæ volun-  
 tatis, diuisio, in duo genera dederit. Quidam  
 enim sunt legitimi, quidam vero testamenta-  
 rij. Legitimi sunt, quibus à lege tribuitur po-  
 testas vltimæ voluntatis defendendæ, quo mi-  
 nus interuertatur, aut procrastinetur. Hos re-  
 Etè dixeris publicos conseruatores vltimarum  
 voluntatum. Quales sunt omnes boni magi-  
 stratus, præsertim in causis p̄ijs episcopi. Recte  
 aut nuncupatur † legitimi executores & publi-  
 ci: quia non hominis sed iuris imperio suscipiunt  
 defen-

## IOAN. OLDENDOR. TRACT.

defensionem testamentariam: non priuatim, sed  
publico iure in defec<sup>tum</sup> aliorum. Porro, quic-  
quid ex lege certam habet formam, dicitur le-  
gitimum, ad instar tutelæ: instit. de legiti. agna-  
tute. & de legi. patrono. tute. in prin. Multum  
3 autem + interest Reipublicæ, adeoq; omnium  
gentium, conseruari vltimas voluntates. Ideo  
legislatores non fuerunt contenti admouisse  
magistratus generaliter, ut omnibus hominum  
erroribus corrigendis intenderent: sed & in  
specie voluerunt illis necessitatem imponere,  
ut vltimas voluntates honestas conseruent ac  
defendant. Et profectò nihil magis hominibus  
4 + debetur, quam vt supremæ voluntatis, post-  
quam iam aliud velle non possunt, liber sit sly-  
lus, & licitum, quod iterum non reddit, arbi-  
trium: vt rescripsit Constantinus Imperator  
ad populum in l. 1. C. de sacrosanct. eccl. item  
Justinianus Nouel. de Nupt. At q; hoc (inquit)  
primum huic præfatum sit legi. Secundum ve-  
rò illud, ut omnia, quæ ab hodierno die testator  
disponat (sue vir existat, sue mulier) eam fir-  
mitatem habeant. Sanciat enim quisq; in re-  
bus suis, vt dignum est, & pro lege voluntas  
eius

eius esto: quemadmodum nobis lex, etiam omnium vetustissima, & qua prima Romanis constituit rempublicam, nempe. 12. tabularum, vetere & patria lingua his pene vices verbis, inquit (uti legassis quisq; de re sua, ita ius esto) nemini facta potestare, ut in rebus alienis aliquid præter illius voluntatem disponat: neque si sacram impetrat formam, aut quicquam omnium. Audis hæc verba? Non deberet admitti Cæsaris rescriptū, velsi quid maius esse queat illius autoritate, ad immutandam voluntatem defuncti? Hinc sole clarus + appetit, 5 quod episcopus etiam in causis pijs, non est immediatus executor: cum alijs sunt heredes vel executores a testatore designati: sed defecatum duntaxat supplet in gratiam testatoris: videlicet, si aut non sunt scripti, per quos testator voluerit executionem fieri: aut fuerint negligentes, vel perfidi. Et medius fidius, qui aliter tractant istam publicam episcoporum potestatem, hi palpitando detrahunt eorum dignitati, & iuris canonici mentem calumniatur. Audi exemplum. Regula + iuris est: deputandos esse bonos viros, qui rerum publicarum ad-

M

ministra-

IOAN. O'LDENDOR. TRACT.

ministrationem, curā, defensionem suscipiant:  
ut sunt magistratus. Idne bonū est & aequum?  
Vtiq; admittes. Iam, si adferas tales admini-  
stratores habere potestatem in res cuiuslibet  
priuati ciuis, sicut ille sibi persuaderi passus est,  
tantum licere, quantum liberet, nonne tum ex  
magistratibus facies tyrannos, & perniciem  
publicam? Quare Imperator Leo: Et si quidem  
( inquit ) testator significauerit, per quem de-  
siderat redemptionem fieri captiuorum, is, qui  
specialiter designatus est, legati vel fideicom-  
missi habeat exigendi licentiam: & pro con-  
scientia sua votum adimpleat testatoris. Ac-  
cedit. l. nulli. C. de episc. & cle. Officium t. verò  
episcopi est, monere, adhortari, urgere depu-  
tatos executores, ut voluntatem testatoris ad-  
impleant, aut legitime renuntient. Nouell. de  
ecc. ti. S. si autem qui hoc facere.

8 His legibus subscribunt t. pontificij canones  
c. tua nobis. de testamen. Cùm igitur ( inquit  
Gregorius ) in omnibus pījs voluntatibus sit  
per locorum episcopos prouidendum vt secun-  
dum defuncti voluntatem vniuersa procedant  
licet etiam à testatoribus id contingere inter-  
dici)

dici) mandamus, quatenus executores testam  
mentorum huiusmodi, ut bona ipsa fideliter &  
plenarie in usus prædictos expendant, moniti  
one præmissa, compellas. Quod conuenit pro  
pe modum, cum. l. si pupillorum. s. si prætor. ff.  
de reb. eor. qui sub tute. & in c. Ioan. d. tit. post  
mandatum (inquit) suscepimus, per diœcesa  
num cogi debet testatoris explere ultimam  
voluntatem.

Nonne his verbis + aportè ostenditur: quo  
modo exercendū sit officium episcopale, ad cō  
seruandas ac defendendas ultimas voluntates:  
An non satis probatum videbitur, ultimas re  
statorum voluntates (nisi honestati repugnant)  
ad unguem seruandas esse? c. cum Marthæ. s.  
cæterum. de celebra. missa. &. 13. q. 2. c.ulti  
ma voluntas.

Prædicta aut̄ adeò sunt vera, ut donec unus 10  
supersit testamentarius executor, non possit  
episcopus se intromittere. Quid igitur facien  
dum? Bonifacius breuiter explicat in c. vlt. de  
testa. li. 6. Sane (inquiens) pluribus à testatore  
simpliciter executoribus deputatis, uno eorum  
mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi for  
M 2 te nolen-

IOAN. OLDENDOR. TRACT.

te nolente, ne voluntatem testatoris impedit, vel nimium differri contingat, poterit alius (nisi testator aliud expresserit) officium executionis iniunctæ, liberè adimplere. Cur hic non constituit Romanus Pontifex, alios esse substituendos, vel ad iungendos authoritate episcopis. Credidit certè iniustum esse, ut uillapotes ingerat sese testationibus ultimis, ubi est executor. Multò itaq; iniustius esset, si adiungerentur alij executores: cum testator scripsisset aliquos coniunctim, & diuisim. Videtur enim singulorum industriad elegisse, quoad unus viueret. l. actione. s. morte. ff. pro soci. l. mandatum. in fi. ff. mand. c. vlt. de offi. dele.

ii. Insinuatio quoq; non alio pertinet, quam ut quæ semel peruererunt ad notitiam publicam nō possint deinde ullo modo interuerti. l. repetita. C. de epi. & cle. & l. consulta. C. de testa. Quod ius sumptum est ex tit. ff. quemad testa. aperian. l. consulta C. de testa. Non possunt enim faciliter interuerti ea, quæ apud magistratum publicata sunt, & ab omnibus cognoscuntur.

12. Deniq; ut extrema tuendarum voluntatum præsidia

præsidia proponerentur, permissa est omnibus hominibus accusatio, si quid videant aduersus testamenti ordinationem, præsertim in p̄is causis. l. nulli. in fi. C. de epis. & cler. Et ne pium (ait) defunctorum propositum improba fraudatorum calliditate cœlaretur, quicquid pro huiusmodi causa à testatore relictum fuerit, vniuersi, qui id quocūq; modo cognouerint, vel in viri clarissimi rectoris prouinciae, vel in urbis episcopi notitiam deferendi, liberam habeant facultatem. Nec delatoris nomen suspicionemq; formident: cum fides atq; industria eorum, tam laude quam honestate non careat, ac pariter pietate: cum veritatem in publicas aures lucemq; deduxerint.

Sed ponamus t neminem vñquam tales leges 13  
scripsisse, de conseruanda vitima voluntate:  
certè natura & Deus insculpsit eas cordibus  
hominum. Quare & Apostolus argumentatur  
ab humano testamēto, quod ratū esse oportet:  
ad testamēto Christi seruatoris nostri. Quæ igitur  
maior possit esse crudelitas, quam extre-  
mam voluntatem interuertere,

Sed t quid, si index ecclesiasticus constituat 14  
executores

IOAN. OLDENDOR. TRACT.

executores, vel adiungat alios, quam testator  
ipse scripserit? Respondeo? Iustis maiorum pre-  
ceptis reverenter obtemperandum est: sed talia  
mandata, si decernerentur, essent ipso iure nul-  
la: non, quasi liceat contemnere, verum ideo,  
quoniam iure permittitur illis casibus no[n] obse-  
qui. l. vlt. C. si cont. ius vel utilita. publi. De-  
**15** bant + tamen cause rationabiles allegari, ut sit  
excusatus is, qui non paruit. c. si quando aliqua.  
de rescrip. Quia patienter (inquit Alexander)  
substinebimus, si non feceris, quod prava nobis  
fuerit in sinuazione suggestum. c. ab excōicato.  
eo. ti. tractatur satis grauiter autoritate cō-  
ciliij in c. sacra approbante. c. venerabili de-  
sentē. excōi. c. solet. c. venerabilibus. sed si ex  
causa. eo. ti. lib. 6. In quibus locis probatur, ex-  
cōmunicationem etiam dubiam multò magis,  
si palam sit iniqua remittendam esse per supe-  
riorem.

De testamentarijs executoribus,

Titulus. 3.

S V M M A R I V M.

Executores testamentarij, in dupli sunt diffe-  
rentiae,